



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd omnis fidelis in vltimis positus oleo sancticato inungi debeat. ii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Quod vltima conuersio mente potius aestimanda sit quam tempore. Cap. I.*

Ex decr.  
Celest. pa  
pa, c. 20

**V** Era ergo ad Deum conuersio in vltimis postorum, mēte potius est aestimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter asserēte: Cūm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Cūm ergo dominus sit cordis inspector, quouis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cum illi se obliget iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari.

*Quod omnis fidelis in vltimis positus sanctificatio oleo inungi debeat. Cap. II.*

Ex decr.  
Calisti  
papa.

**B** Eatus enim Iacobus apostolus in epistola sua scripsit Infirmatur quis in vobis, inducat, presbyteros Ecclesie, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei saluabit infirmum. Hoc & apostoli in Euangelio fecisse leguntur, & nunc Ecclesia consuetudo tenet, vt infirmi oleo consecrato vngantur à presbyteris, & oratione comitante sanentur. Non solum presbyteris vti licet hoc sacro oleo in suis infirmitatibus: sed, vt Innocentius papa describit, etiam omibus Christianis vti licet eodem oleo, in sua aut suorum necessitate vngendo. Quod tamen oleum non nisi ab episcopis licet confici. Nam quod ait, oleo in nomine dñi, significat oleo in nomine domini consecrato: vel certè quia etiam cum vngant infirmum, nomen domini super eum inuocare debet. Et si in peccatis sit dimittentur ei. Multi propter peccata in animam facta, infirmitate, aut etiam morte plectuntur corporis. Vnde Apostolus Corinthiis, quia corpus domini indignè perciperent, ait: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Si ergo infirmi in peccatis sint, & hec presbyteris Ecclesie confessi fuerint, ac perfectò corde ea derelinquere, atque emendare fategerint, dimittetur eis. Neque enim sine confessione emendationis queunt dimitti. Vnde rectè subiungitur: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini.

*De illis qui propter timorem mortis in ipsa infirmitate confitentur peccata sua. Cap. III.*

Ex cõcil.  
Hæneten.  
cap. 2.

**I** nfirmus qui necessitate mortis vrgente confitetur peccata sua, sub ea conditione à sacerdote reconcilietur, vt si ei dominus vitam donauerit, sanitatemque reddiderit.